



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXIX. Continuatio ejusdem Parabolæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

ad rationem suam rediens, istaque secum perpendens, concipit propositum Pœnitentiæ, & ineundæ cum DEO novæ Amicitia; ut indicant illa verba: *In se autem reversus dixit: Quanti Mercenarii in domo Patris mei abundant Panibus* (id est, Cibis & Medijs Spiritu- libus ad augendam & nutriendam Gratiam, ac Gusti- bus, & Solatijs veris & utilibus ad Vitam) *Ego autem hic fame pereo! Surgam* (à peccatis meis, in quibus ja- ceo) *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cælum & coram te* (nempe in DEVM, qui in Cælis est, & qui Pater est nostrî amantissimus) *jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de Mercenarijs tuis* (nempe non sum dignus Gratiâ Filiorum, & Favori- bus eorum, qui Amore Filiali tibi serviunt; fac, ut siam capax Mercedis Æternæ, & per obsequia mea, tibi deinceps præstanda, illam merear) Pro hac Gra- tia excitante, tibi & alijs peccatoribus semper con- celsâ, gratias age, eamque tibi, & alijs precare. Ob- serva etiam formulam Corde Contrito & Humiliato eliciendi dolorem de peccatis, quæ in eo consistit, ut doleas de DEO offenso, ut Patre summè Bono & Amabili; teipsum despicias, & proponas DEO servire, etiam sine specialibus Favoribus Filiorum.

MEDITATIO CCCLXIX.

Continuatio ejusdem Parabolæ.

Luc. 15.

PUNCTUM. I. *Et surgens venit ad Patrem* (nimirum deserens consuetudinem peccandi, ipsûmque pec- catum, gressibus & meritis Bonorum Operum venit

Y 2

peccator

peccator ad DEVM, & impetrat Auxilia Actualia
 Pœnitentiæ ad Gratiam recipiendam) Cùm autem
 huc longè esset (quia nondum egit sufficientem Pœni-
 tentiam) vidit illum Pater ipsius (nempe DEVS oculis
 Misericordiæ illum respexit) & Misericordiâ motus
 & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum
 Luc. 15. v. 20. Idem facit DEVS, quando ex Misericordiâ
 appropinquat peccatori per Gratiam Cooperantem & Efficacem, & quando alliciendo ad Spem
 Veniæ illum jam Amore Beneficentiæ complectitur,
 ac deosculatur. Simili modo surge & tu. Veni ad
 Patrem. Concipe Spem & Fiduciam Veniæ ac Misericordiæ
 Paternæ; & dignum te redde Osculo Paterno, & precare: *Osculetur me Osculo Oris sui.* Cant.
 V. I.

PUNCT. II. *Dixitque ei filius: Pater, peccavi in Cœ-
 lum, & coram te, jam non sum dignus, vocari filius tuus.*
 v. 21. In his verbis includitur, & significatur actus
 Perfectæ Contritionis, quæ mox meretur Gratiam
 Justificationis, ex Amore DEI, ut Optimi Patris, &
 ut Majestatis Infinitæ, qualis in Cælo videtur, & con-
 litur, ac amatur à Beatis, & ob quam causam humiliter
 limè rogatur Venia de commisso peccato, idque sum-
 mè displicet. Unde hujus Contritionis effectus pro-
 prius ac verus sequentibus verbis describitur: *Dixit
 autem Pater ad servos suos: citò proferte Stolam primam (id est
 est, eandem vel similem Gratiam, quâ prius, velut
 talari toga, Anima contegebatur) & induite illum, &
 date Annulum in manu ejus (pretio & splendore annulorum
 manu significatur pretium & splendor Bonorum Operum,
 qui per peccatum interciderat, & ad pristinum
 valorem per Justificationem restituitur) & Calcet*

menta in pedibus ejus (his denotatur Protectionis, & Auxilij Divini favor, ad Viam Mandatorum inoffenso pede decurrendam, & progressum in Virtutibus faciendum) *Et adducite Vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Hac convivali Lætitia denotatur mutuuum Gaudium, quod habet DEVS & Angeli super uno peccatore Pænitentiam agente, & quod nascitur in animo peccatoris, cui Secura Mens est, quasi Juge Convivium. Potes per hunc Vitulum & Epulationem etiam intelligere Christum in Cruce occisum, & per S. Communionem, vel per Passionis, rursus Animam reficientis, participationem, in Convivium nobis appositum. Ex his perpende Misericordiam & Charitatem DEI erga peccatorem, Pænitentiam agentem, dantis media Justificationis, & tam perfectè condonantis peccata. Age itaque gratias DEO pro istis Medijs, & eorum frequentem usum tibi propone; nec contentus ipse ad Patrem per Pœnitentiam rediisse, alios etiam ejusmodi Filios Prodigos, Peccatores inquam, ad Patrem reducere, & ad veram Pœnitentiam impellere assabora; aut si id Officij tui vel Statûs ratio non admittet, eam per Orationem tuam saltem, & Bona Opera illis impetrare stude.

PUNCT. III. Considera, quòd, licèt per Pœnitentiam Justificantem tam perfectè remittantur peccata, & ea tantum Gaudium DEO & Angelis pariat, ut is, qui nunquam peccavit, quodammodo, invidere possit; huic tamen, qui cum veritate ad Patrem dicere potest: *Eecce tot annis servio tibi, & nunquam Mandatum tuum praterivi.* v. 29. imprimis Paternas Blanditias DEVS exhibeat (ut indicatur per verba ista: *Pater ergo illius cepit rogare illum*) & ita etiam respondeat:

Y 3

Fili

Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. O quantum hæc verba Gaudium parere debent in animo continentis suam Innocentiam, quantam gratiarum actionem, quantam sollicitudinem Perseverantiam, quantam Fiduciam, & Spem Præmij! E contra quantum dolorem, pænitudinem, humilitatem, & fidem in animo tuo excitent, si nequeas dicere: *Et tot annis servio tibi &c;* sed si brevi solum tempore viêris optimo Patri, & frequenter Mandata ejus præteriveris!

MEDITATIO CCCLXX.

De Villico iniquitatis.

LUC. 16. v. 1.

PUNCTUM I. *Dicebat autem ad Discipulos suos: Hic quidam erat dives, qui habebat Villicum, & hic dissipatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Luc. 16. v. 1. Per hunc Villicum designatur homo, qui unum peccato mortali dissipat Bona Supernaturalia Gratia Sanctificantis, & omnium Habituum dependentium à Gratia: Et qui Bona Naturalia animi vel corporis ex.gr. Ingenium, Intellectum, Scientias, Valetudinem corporis, ejus integritatem, membra, potentias internas & externas malè usurpat, vel ad fines malos: qui etiam officium sibi commissum malè administrat. Hic Villicus diffamatur apud DEVM per ipsius universalem Scientiam certissimam & inevitabilem, quæ minimæ quæque culpæ illi sunt perspectæ. Perpetua de itaque, qualia & quanta bona Villicationi tuæ commissa sint; quid & quantum dissipaveris; & pro quantum villicus